



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 9. Puerorum lusus quibus maximi momenti negotia præsignificata
sunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

Signū saluatoris CHRISTI nemini licere vel in
 silice, vel in marmaribus hūni positis insculpere
 vel pingere, sed quodcumque reperitur, tolli: grauisimā pœ-
 na multando eo, qui contrarium statutis nostris tentauerit,
 specialiter imperamus. Dat. xij. Kal. Iun. Hierio & Ardabu-
 no Coss. Ac ne quis fortasse putet, aliam veterū libe-
 rum scripturam fuisse: habeo ipse Codicem scriptum
 annos ab hinc ferè sexcentos, in quo planè eodē mo-
 do, et in vulgatis, legitur. Licuerit fortasse Crinito in
 ludicris ac leuibus leges ac Senatusconsulta
 infringere: certè in re ad cultum diuini numinis per-
 tinentē, impetatoris commemorabili pietate ac reli-
 gione præditi constitutio corrumpenda non fuit.

Puerorum lusus quibus maximi momenti negotia præ-
 significata sunt. CAP. IX.

SOLENT pueri interdum colludentes imitari ea
 quæ maximè seria sunt; neque rarè animaduer-
 sum est, eorum ludicris quandam futuræ sortis ac
 conditionis significationem contineri. Romulus cer-
 te, cum adhuc ignatus suæ originis inter pastores
 educaretur, rex ab illis per ludum creatus, & per eam
 occasionem ad magnum patrum perductus, puerilis
 simplicitatis præsignationem re ac factis comprobauit.
 Quod ipsum & de Cyro aliisq; proditum nouimus.
 Sed & L. Septimium Seuerum, qui postea Romano
 imperio præfuit, tradit Spartianus, cum adhuc pue-
 nus esset, nullum alium ludum inter pueros exer-
 cuisse, nisi ad iudices: cum ipse prælatis fascibus ac
 securibus, ordine puerorum circumstante, sederet ac
 iudicaret. Quod autem his omnibus multo maius
 præstantius est, sanctissimo viro Athanasio sum-
 mus ordo in Ecclesia Dei puerili quodam ludo præ-
 significa-

Micreti
 Lektionen
 III
 28

significatus est. Nam cum eum æquales sui, festo quodam die in littore maris colludentes, Episcopum esse assensissent: & ad eum alios quosdam puerulos nondum baptizatos perduxissent: ipseque eos, obseruans unguem omnibus Ecclesiasticis ritibus salutari contempnisset: Alexander episcopus Alexandria, qui totum illum ludum eminus spectauerat, atque etiam à principio iniquo animo tulerat: cum, vocatis ad se puerum totam diligenter cognouisset: pronuntiavit, pueros illos ritè baptizatos videri, neque amplius baptizandos esse; adiicienda tantum ad illud mysterium, quæ more atque instituto Christiano à sacerdotibus obiri oporteret. Eius autem Alexandri S. Athanasii successor fuit. Neq. absimile est, quod de S. Ambrosio Episcopo Mediolanensi S. Paulinus Nolanus Episcopus memoriæ prodidit, eum adhuc puerulum solum esse quasi per iocum manus sororibus suis osculandum dare; cum sacerdotibus eum honorem ab illis ritibus videret: nam se aliquando Episcopum fore.

Locus Demosthenis à Cicerone, singulari artificio expressus.

CAP. X.

NON quicquid more fit, iure fit: aliudque multum est, solere aliquid fieri, & aliud licere. & hæc nomen turpiter factis excusatio plerumque prætexti solet: neque ferè quisquam est, quin iniuriam sibi fieri putet, quod alij complures diu impunè fecerunt. Sed se potissimum eius vlciscendi ducatur exordium. Sed acerrimus ac pugnacissimus oratorum Demosthenes, quem perurbanè amicus quidam meus Aristotelem oratorum vocat, quidam, vt in Aristotele, ita in Demosthene nihil otiosum, nihil redundans reperiant, densa & compacta omnia & neruorum ac virium plena: